

S. WILHELMUS HIRSAUGIENSIS. 267

nica continentur, integram hic recensere: „Eodem tempore autumnali
 „(an. 1075.) Hirsaugense coenobium, ab Erlafredo quodam nobili & re- SECVLVM
 „ligioso fenatore iam olim, ut fertur, sub Pipino rege regulariter fatis XI.
 „instructum, sed posterorum illius invasione ex multo iam tempore de-
 „structum & direptum, a comite Adelberto, uxore eius Wieldruda,
 „& filiis eorum in idipsum consentaneis iam aliquamdiu restauratum,
 „nunc sub testamentario regiae maiestatis iure & sc̄riptione plenariae li-
 „bertatis omnifariam Domino Deo, S. Petro, S. Aurelio & S. Bene-
 „dicto contradebatur. Et sic ex toto proprietatis illorum absolutum do-
 „minio solita legis Alemannicae abrenuntiatoria testificatione coram mul-
 „tis testibus apud eundem locum, & in ipso S. Aurelii die festo liber-
 „time peractum a se profus emancipabant, & in servitium Dei abbati
 „Willihelmo eiusque successoribus in liberam potestatem & curam, &
 „fratribus inibi sub regula monastica victuris in necessariam sustentatio-
 „nem destinatum fatis legitime confirmabant.“ Refert dein gravissimum
 morbum, in quem Roma rediens in itinere inciderat S. Wilhelmus a
 medicis iamiam desperatus. „Demum vero (subdit) postquam Deo om-
 „nipotenti medico miserante tempus miserendi advenit, oleo sacro a fra-
 „tribus unctum & a peccatis dimissum oratio fidei salvavit infirmum.
 „Sic cellam suam mox reconvalefcens cum acquisitis apostolicae liber-
 „tatis privilegiis & benedictionibus vix repatriavit.“

In eodem MS. latius edifferitur, quod in vulgato Bertholdi chroni-
 co apud Urstifium ad an. 1077. paucis commemoratur de Bernardo ab-
 bate Massiliensi, qui ab Udalrico comite de Lenzburg Henrici IV. compli-
 ce captus fuit „& cum eo Christianus sapientissimus monachus, dum re-
 „verti ad domnum apostolicum niterentur, a quo ad sedandas nostro-
 „rum discordias in Teutonicas partes missi sunt, a comite quodam Ou-
 „dalrico capti, deprædati, & in castellum Lenzburg incarcerati sunt.
 „Quos rex Henricus captos comperiens, non, ut domno apostolico
 „iureiurando pactum iam fecit, dimitti præcepit. Cluniacensis autem
 „abbas (S. Hugo is erat) paullo post litteras ad eum commonitarias
 „transmisit, in quibus fatis superque illum pro periurio coarguit: quip-
 „pe nota ipsi tota reconciliationis & confœderationis causa inter papam
 „& regem fuerat, utpote qui præcipuus mediator his præsto intererat.
 „Insuper ipsi facie revelata liberrime demandavit, quod id certissimum
 „proditionis (perditionis) illius indicium foret, quod tam magnos & san-
 „ctissimos Dei viros incarceratos propter iustitiam, sedis apostolicæ con-
 „stemtor inhumanus non liberaret, sed potius intrudi præciperet. Qua

L I 2

„ille